



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

VIII. Quo tempore, quâ viâ illuc properauerit?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

gente pagana subitò inueniri non posse sciebat, prouida liberalitate secum fecit portari, ne sine instrumentis agricola fidus in agrum Domini sui exire videretur. Vestes quoque & pannos preciosos, aliaque donaria nobilibus ac diuitibus apta, Euangelista simplex & prudens in viam portauit Euangelij, ne fortè indigentia causa, paganis videretur euangelizare, sed nouellæ plantationi sua potius conferre, quàm illius appetere.

*Timo.* Parum te hîc submoneo, non tibi sit iniuria. Video equidem quibus causarum euentibus ad illam gentem tam longinquam Ottonem nostrum ire contigerit. Sed quâ illiciter egerit, & quo tempore in viam ierit, leuiaque siue aspera viâ dicere non omittas, ne errare incipiam, si & ego eò ire velim.

*Sefridus.* Vt vis, & in hoc ego obediam.

*Quo tempore, qua via illuc properauerit?*

### CAPVT OCTAVVM.

**P**Aratis omnibus, quæ profectio*n*i erant necessaria, proxima die post festum B. Georgij Martyris, salutato Clero & populo suo, tanquam hoc opere viam sanctificaret, duas Ecclesias, vnâ in *Luckenperge*, & aliam in *Vohendrese* consecrauit. Hinc, transito nemore Bohemico, per Abbatiam \* *Cladruuam* ventum est *Pragam*; inde per *Satischam* in Albi fluminis ripa sitam Ecclesiam, ad castrum Ducis Bohemici, quod *Miletiam* dicunt, vbi à Duce ipso magnificè susceptus & donis honoratus est. Inde per aliud eius castrum *Burda* nomine, vsque *Nemetiam*, Urbem Ducis Polonorum, atque inde per tres Episcopatus *Poloniae*, *Bretzlauensem* videlicet, & *Calissensem*, atque *Bozenamensem*, vsque ad Episcopatum *Genezensem* cum gaudio & pace conducti sumus, omni*b*us illis Ecclesiis vnâ salutationis fa-

*Sefridus.*  
*Iter S. Orbanis*  
*in Pomerania.*

\* *Edir. Canis.*  
*Cladrim.*



*S. Otho passim  
cum processio-  
ne excipitur.*

ma Dominum meum suscipientibus, festiua scilicet processio-  
nis honore, gaudentesque per loca singula vno eodemque  
exultationis cantu eius proposito alludentes; *Ciues Apostolo-  
rum & domestici Dei aduenerunt hodie, & caetera, quae in illo Re-  
sponso sunt, deuote cecinerunt.*

*Quid auxilij, quid praesidij habuerit in  
Duce Polonia.*

CAPVT NONVM.

*Septiduo.*

*Dux Polonia  
cum proceribus  
obuiam is S.  
Othoni, nudis  
pedibus.*

*Septem dies  
manet cum  
Duce.*

*Dux dat S. O-  
thoni Ministros  
linguarum pe-  
ritos.*

*Dux S. Othone  
& Comites re-  
bus necessariis  
liberaliter in-  
struit.*

**R**aterea Dux ipse & omnes Optimates Poloniae,  
quasi ducentis passibus ab Vrbe Gnezna nudis  
pedibus procedentes, cum magna susceptum  
reuerentia, principalem vsque ad Ecclesiam  
conduxerunt.

Dux ergo tali hospite laetissimus & gloriosus, per dies se-  
ptem eius fruens praesentia, multa nobis exhibita humanita-  
te, omnia etiam viae necessaria solerti cura institit praeparare;  
deditque Domino meo de gente illa tam Sclauica, quam  
Teutonicae linguae gnaros Satellites ad diuersa eius ministe-  
ria, ne quid incommoditatis per linguae ignorantiam in gen-  
te externa pateretur. Quid dicam? currus & quadrigas or-  
dine longo, victualia, & omnes sarcinas nostras portantes,  
monetamque illius terrae liberalitate contulit ingenua, nulla  
nos sustinens laborare inopia; sed neque propria expendere;  
ac si omne illius viae meritum suis impensis emere cogitaret.  
Tres etiam Sacerdotes Capellanos de latere suo Princeps Epi-  
scopo sociauit Coadiutores Verbi, & Centurionem quendam  
nomine Paulitium, virum strenuum & Catholicum, qui  
etiam naturali facundia idoneus esset con-  
cionari ad populum.

